Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Legenda Aurea - Cod. Aug. perg. 256

Jacobus <de Voragine>

[S.l.], [14. Jahrh.]

De sancto Philippo

urn:nbn:de:bsz:31-66161

Visual Library

Et ecce quidam veniens in habitu predicatoris eidem apparuit et cappa ipsum cooperiens eum in ecclesiam introduxit. Ille autem evigilans et incusus locum se reperit et penitus se sanatum invenit. Ab multis amputationibus inquirit et stupore et vident hominem pene mortuum tam subito liberatum.

Philippus dicitur os lampadis **De s. philippo** vel os manuum. Vel dicitur a philos quod est amator et yper quod est super, quasi amator supernorum. Dicitur igitur os lampadis propter claram lucidam predicationem, os manuum propter assiduam operationem, amator supernorum propter celestem contemplationem. **De sco ſlomine**

Philippus apostolus cum per xx annos per Sciciam predicasset, a paganis tentus est et ad immolandum statue Martis ab eisdem compellitur. Tunc subito draco ingens de sub basi statue exiit, qui filium pontificis qui ignem ministrabat in sacrificio interfecit. Duosque tribunos quorum ministri Philippum in vinculis detinebant extinxit. Ceterosque adeo suo flatu infecit fetore, ut omnes morbidi redderentur. Dixitque Philippus: Credite michi et statuam istam confringite et in loco eius crucem domini adorate, ut infirmi vestri sanentur et mortui suscitentur. At hii qui cruciabantur clamabant: Tantum fac ut sanemur et hunc Martem confringemus. Tunc Philippus draconi precepit ut in loca deserta descenderet, ita ut nulli omnino noceret. Qui statim recessit et ulterius non comparuit. Tunc Philippus omnes sanavit et illis tribus mortuis vitam impetravit. Sicque universis illis credentibus per unum annum eis assidue predicavit et eis presbyteros et dyaconos ordinavit. In Asyam inde veniens in Ierapoli civitate venit ubique heresim hebionitarum qui Christum carnem fantasticam assumpsisse dogmatizabant extinxit. Erant autem ibi due sanctissime virgines filie sue per quas dominus multos ad fidem convertit. Philippus autem ante vii dies obitus sui omnes presbyteros et episcopos convocavit eisque dixit: Hos vii dies propter admonitionem vestram michi dominus concessit. Erat autem annorum lxxxvii. Post hec infideles ipsum tenuerunt et cruci ad instar magistri sui quem predicabat affixerunt et sic ad dominum migravit et feliciter vitam complevit. Iuxta autem eum due filie eius una a dextris et alia a sinistris sepulte sunt. De isto Philippo sic dicit Ysidorus in libro de vita et ortu et obitu sanctorum: Phylippus Gallis predicat Christum, barbarasque gentes vicinasque tenebris et tumenti occeano coniunctas ad scientie lumen fideique portum deducit. Deinde in Ierapoli Frigie provincie urbe crucifixus lapidatusque extinctus quiescit cum filiabus suis. Hec Ysidorus. De Philippo autem qui fuit unus de vii dyaconibus dicit Ieronimus in martirologio quod viii idus Iulii signis et prodigiis inclitus apud Cesaream requievit. Iuxta quem tres filie eius tumulate sunt, quarta Ephesi requiescit. Primus igitur Philippus ab isto differt, quia ille fuit apostolus iste dyaconus. Ille quiescit apud Ierapolim iste apud Cesaream. Ille habuit duas filias prophetissas, iste iiii filias. Licet historia ecclesiastica videatur dicere quod fuit Philippus apostolus qui habuit iiii filias prophetissas. Sed magis in hoc Ieronimo est credendum.